



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1551. usque ad annum 1553

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118561

§. 7. Canones confecti, ac patribus in quadam Congregatione exhibiti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66577](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66577)

Sæcul. XVI hac de re mentionem prætermitti. Quod
 A. C. 1551. articulum decimum, seu præceptum
 noxas ante Communionem expiandi
 spectabat, non minus inter Synodi Præ-
 fules, quam Theologos nonnulla erat
 opinionum varietas; quippe arbitraban-
 tur plerique, quod confessionem præ-
 mitti, ita necessitas suadeat, ut tamen
 oppositæ opinioni nota hæresis nondum
 inuri deberet.

§. VII.

*Canones confecti, ac Patribus in qua-
 dam Congregatione exhibiti.*

Pall. l. 12. c. 2. n. 14. & 15. **R**ebus ita discussis novem Patres scien-
 tia, atque auctoritate ceteris magis
 conspicui seligebantur, qui decreta con-
 ficerent, iique circa decimum articulum
 Canonem eodem omnino tenore, quo
 postea in Canone undecimo exhibebi-
 tur, concinnabant, hæc tamen adde-
 bant: *habita copia Confessoris.* Itaque
 Canones, hoc pacto concepti primo in
 Conventu die prima Octobris, & postea
 in alio sexta ejusdem Mensis habito ad
 Synodi Patres referebantur, moxque ad
 edicendas sententias cuncti convenerunt,
 exceptis horum Canonum Auctoribus;
 his enim duntaxat injunctum, ut ipsi, si
 quid ab aliis objiceretur, de labore suo
 rationem redderent: cum vero in Canone
 ne

ne undecimo indicta etiam anathematis Sæcul. XVI.
 pœna prohiberetur, ne quis publice con- A. C. 1551.
 troverfiam moveret circa decimum ar-
 ticulum, in quo *illis, quos peccati morta-*
lis conscientia gravat, ante communionem
necessario præmittendam esse confessionem de-
cidebatur, vox autem illa publice non-
nullis displiceret, hinc Cornelius Mus-
sus Bituntinus Episcopus illis respondit:
 hanc vocem appositam fuisse ad evitan-
 dam populi offensionem, privatam ta-
 men de eo disceptationem haud esse in-
 terdictam. Circa tertium quoque Ca-
 nonem, quo anathema pronuntiabatur,
si quis dixerit, sub qualibet specie, & sub
qualibet ipsius parte non contineri totum
Christum, nonnulla erat opinionum di-
 versitas: Joannes enim Æmilianus Hi-
 spanus, ac Tudætanus Antistes hæc
 verba *facta separatione* omnino addenda
 monebat, idque consilium sequeban-
 tur ceteri, quamvis nonnulli nomine
 Constantiensis, Stabiensis, & Lancia-
 nensis Episcoporum sese opponerent,
 causati, hac additione inferri, perinde
 ac si ante separationem Christus Domi-
 nus sub qualibet parte integer ad-
 esset. Verum Bituntinus Episcopus op-
 portune suggerebat, solas hæreses esse
 damnandas, non item definiendas
 Scholasticorum opiniones, unde hæc
 disceptatio mox deserbuit.

Post-

Sæc. XVI.
A.C. 1551.

Postquam igitur Synodi Patres hoc
ce Canones ita emendabant, rursus de
Confessione Eucharistiæ sumptioni præ-
mittenda actum est, decretumque, ad-
denda esse hæc verba: *quantumcunque
etiam se contritos existiment habita co-
pia Sacerdotis confessionem præmittant,*
nec etiam vox publice expungeba-
tur. Attamen in Conventu die nona
Octobris celebrato Turritanus, seu Sas-
fariensis (quod in idem recidit) Episco-
pus censuit, Canoni hanc conditionem
esse adjiciendam: *nisi adsit ingens necessi-
tas.* Præterea Stabienfis Episcopus has
alias voces apponi voluit: *quando scan-
dalum non vetat:* Alii vero alias conditio-
nes addi peroptabant: Ast nonnisi vox
Sacerdotis in nomen *Confessarij* est per-
mutata, prout Jacobus Naclantus E-
piscopus Clodiensis proposuerat, eoquod
non cuilibet Sacerdoti confessionis ex-
cipiendæ potestas data esset, & quam-
vis Bituntinus Antistes allegasset, a
Constantiensi Concilio non vocem *Con-
fessarij*, sed *Sacerdotis* adhiberi, nihilo-
minus Naclanti sententia rata habebatur.

§. VIII.

*Canonibus etiam doctrinæ capita esse
adjungenda propositum.*

Sarpus hist.
Conc. Trid.
l. 4. p. 306.

Cum per Canones anathematis pœ-
nam